

vis tunc factæ fuerint a Deo, et alio modo illi tempori et genti accommodato. Ex quo necessario dicendum est finem proximum illius legis, illique adæquatum, suo modo comprehendisse finem legis canonicæ et civilis. Quid autem dicendum sit de promissionibus illius legis, quod in altera probatione illius objectionis petebatur, dicitur commodius inferius in cap. 6.

9. *Singula præcepta habuerunt proprios fines materiis accommodatos.* — Dico quarto: singula præcepta illius legis habuerunt proprios fines immediatos, et rationes propter quas data fuerunt, propriis actibus seu materiis accommodatas. Hæc assertio, in generali sumpta, per se nota est: tum quia unumquodque præceptum sumit propriam speciem suam ex fine proximo ad quem tendit, et ideo sicut præcepta sunt distincta, ita necesse est ut unumquodque habeat suum peculiarem finem. Tum etiam quia licet partes ordinentur ad finem totius, tamen si ipse inter se sunt diversarum rationum, necesse est ut ad fines etiam proprios ordinentur, sicut videre licet in corpore humano, et in partibus heterogeneis ejus. Idemque videre licet in jure civili aut canonico: nam, licet unumquodque illorum suum finem habeat adæquatum, nihilominus singulæ leges sub eis contentæ proprios fines et utilitates necessario habere debent. Denique in illa partitione generali præceptorum hujus legis supra tradita, hoc ipsum reperimus, ut ex declaratione data manifestum est: nam moralia præcepta ad bonos mores naturales, judiciaria vero ad bonos mores civiles, ut sic dicam, cæremonialia autem ad religiosum Dei cultum ordinabantur. Sic ergo singulæ species præceptorum sub his generibus contentæ, proprios et quasi específicos fines habuerunt: eos autem omnes in particulari nunc prosequi prolixum esset, et a nostro instituto alienum, præterquam quod sufficientissime id egit D. Thomas, 1. 2, a quæstione 102 usque ad 105. In generali autem declarare modum inquirendi hunc finem, seu rationem in singulis præceptis hujus legis, operæ pretium visum est.

10. *Duplex finis in præceptis considerandus.* — *Præter utilitatem actus, aliquid significare debent.* — *Triplex significatio.* — Advertendum est ergo duplicem finem, seu rationem esse in illis præceptis considerandam: una dicitur litteralis seu moralis, alia spiritualis seu figurativa. Prior necessaria est in omni lege hominibus data, sive a Deo, sive ab ho-

mine; quia, cum detur de actibus humanis, necesse est ut eorum honestatem vel utilitatem humanam respectet, et hæc vocatur litteralis ratio præcepti. In lege autem divina, hoc proprium est ut, præter utilitatem actus, intendat significationem et propheticam figuram alicujus rei futuræ, quod Deus in veteri lege observavit, juxta illud 1 ad Corinth. 10: *Omnia in figura contingebant illis*, et tradit late D. Thomas supra, cum August., lib. contra Adimantum Manichæum, et libro quarto contra Faustum, cap. 2, et lib. 22, cap. 4, et libro 18 de Civit., capite undecimo. Hæc igitur significatio dicitur ratio figuralis seu mystica, quæ solet a theologis triplex distingui: scilicet, tropologica seu moralis, allegorica et anagogica. Tropologica seu moralis dicitur quando per actionem externam significatur interior sanctitas et honestas quæ vel in illo populo desiderabatur, vel in christiano populo futura prædicebatur; tale erat præceptum circumcisionis carnis, quæ circumcisionem cordis præfigurabat, quæ a Paulo dicitur *circumcisio cordis in spiritu, non in littera*, ad Rom., 2. Allegorica ratio dicitur esse, quando legis opera Christi mysteria præfigurabant, quæ propterea a Paulo dicuntur *umbra futurorum, corpus autem Christi*, ad Coloss., 2. Anagogica posita est in significatione futuræ gloriæ et bonorum ejus, de qua intelligi potest illud Pauli ad Hebræos 10: *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*, etc. Et de hac triplici ratione disputant late theologi in principio primæ partis, tractando de variis sensibus spiritualibus Scripturæ, qui, licet fere in omni veteri Testamento locum habeant, specialiter tamen in præceptis illius legis observantur: et juxta illos variæ rationes propriæ singulorum præceptorum a Patribus assignantur.

11. *Distinctio tradita quomodo applicanda.* — *Quomodo distinctio data, sit applicanda præceptis judicialibus et cæremonialibus.* — Est autem ulterius dicendum illas duas rationes, litteralem et spiritualem, non esse æqualiter vel eodem modo applicandas ad singulas partes illius legis. Nam imprimis præceptorum moralium, ut talia sunt, non est querenda spiritualis seu figuralis ratio, quia præcepta illa, secundum se spectata, et ratione materiæ, non sunt positiva, sed naturalia: unde et ante illam legem obligabant, et nunc etiam obligant, quando figuræ et umbræ legis veteris cessarunt. In illis ergo

non consideratur ratio figuralis, sed moralis; tum quia sicut præcepta illa sunt perpetua, ita et eorum ratio; tum etiam quia ratio figuralis est positiva, ut sic dicam, et ex institutione. Ratio autem illorum præceptorum non est ex positiva institutione, sed ex ratione naturali, vel pura, vel adjuncta lumine fidei; in hoc enim distinguuntur illa præcepta a cæremonialibus et judicialibus, ut sentit D. Thomas, quæst. 100, art. 1, et ubi bene id explicat Cajetanus. Idem etiam dicitur Thomas, quæst. 99, art. 2, 3 et 4, et quæst. 104, art. 1, et ita in omnibus illis quæstionibus nullam rationem figuralem in his præceptis considerat. Præcepta autem judicialia et cæremonialia sunt proprie positiva divina, et in eis maxime consideratur duplex ratio dicta, diverso tamen modo, ut voluit D. Thomas, dicta quæst. 104, art. 2; nam cæremonialia dicit esse figuralia primo et per se, quia sunt principaliter instituta ad aliquid præsignandum; judicialia vero non primo et per se, sed ex consequenti fuerunt figuralia, quia non ad significandum, sed ad ordinandum statum illius populi, secundum justitiam et æquitatem, per se data sunt, ex consequenti vero aliquid figurabant. Expone autem Cajetanus nec per se primo, nec per se secundo fuisse ad significandum instituta, sed id habuisse per accidens, in quantum data sunt populo, cujus totus status erat figurativus.

12. *Difficultas circa dictam sententiam divi Thomæ.* — Non caret tamen difficultate hæc sententia D. Thomæ, quam auget interpretatio Cajetani. Primo, quia a neutro redditur ratio illius differentiæ. Secundo, quia sicut judicialia præcepta sunt per se primo instituta ad ordinandum homines inter se; ita etiam cæremonialia præcepta per se primo data sunt propter cultum divinum, et inde habent suam litteralem rationem, ut docet idem D. Thomas, quæst. 102, art. 2; ergo, etiam in illis, figuralis ratio est tantum secundaria, et non primaria. Responderi potest, ex Cajetano, esse quidem secundariam, sed per se, et in hoc differre cæremonialia a judicialibus. Sed contra hoc objicere, tertio, quia vel judicialia præcepta fuerunt imposita ex institutione divina ad significandum futura, vel non? Si primum concedatur, profecto per se significabant saltem ex secundaria intentione, et ita nulla est differentia, quia cæremonialia non alia ratione possunt dici per se significare, nisi quia ad hoc fuerunt im-

sita: non enim ex natura sua talem significationem habebant. Si autem negetur judicialia præcepta fuisse imposita, etiam secundo, ad significandum, profecto non significabant, quia in signo ad placitum impossibile est intelligere significationem sine impositione, sicut relationem sine fundamento. Nec potest intelligi quid sit significare per accidens ratione subjecti, scilicet, populi, cujus totus status erat figurativus (ut Cajetanus ait), quia esse in subjecto, cujus status est significativus, seu esse partem illius status, non esset satis ad significandum, nisi impositio ad figurandum in talem etiam partem caderet. Et tunc non totus status esset quoad omnia et (ut ita dicam) totaliter figurativus. Quod si de facto status illius populi fuit figurativus, quoad utrumque genus præceptorum judicialium et cæremonialium, ideo est, quia ex intentione Dei utraque fuere ad significandum imposita.

13. *Præcepta tam cæremonialia quam judicialia habuerunt rationem figuralem ex institutione Dei, et sane, per se aliquo modo.* — Dico ergo utraque præcepta habuisse rationem figuralem aliquo modo per se ex institutione divina. Differentia autem a D. Thomæ intenta videtur habere locum in illis præceptis, secundum particulares determinationes, et (ut ita dicam) secundum específicas rationes eorum. Nam, loquendo in genere de utroque ordine illorum præceptorum, non potest in eis sufficiens ratio differentiæ constitui, ut probant rationes propositæ: quia revera uterque ordo præceptorum per se primo fuit institutus propter debitum ordinem hominum, vel religionis ad Deum, vel justitiæ inter se, et, in utroque illorum, significatio vel figuratio est adjuncta ex institutione Dei. Considerando autem particulares determinationes præceptorum utriusque ordinis, videtur esse aliquis differentia, quia in cæremonialibus particularis determinatio cæremoniae, in tali sacrificio vel Sacramento, ordinarie sumitur ex ratione figurali: in judicialibus autem sumitur ex ratione litterali seu morali. Et ratio est, quia, licet principalis ratio sacrificii sit divinus cultus, ad hunc cultum parum referret, quod præciperetur offerri hoc vel illud animal, vel sub hac aut illa actione: propter representationem autem, vel figuram determinata est talis materia, vel forma sacrificii, et ita fere in omnibus cæremoniis cum proportionem invenietur. At vero in judicialibus non solum in generali, sed etiam in particu-

lari in singulis præceptis et actionibus eorum consideratur utilitas, seu commoditas, aut æquitas actionis præceptæ in ordine ad commune bonum reipublicæ humanæ, quia nihil in eo ordine præcipitur, nisi quod ad hunc finem est accommodatum; hac vero ratione supposita, illi adjuncta est significatio. Et ita recte subsistit differentia, quod figuralis ratio in cæremonialibus est primaria, in judicialibus autem secundaria. An vero in omnibus et singulis præceptis utriusque ordinis, necessarium sit utramque rationem simul inveniri, disputari posset; id tamen expositoribus divinæ Scripturæ relinquimus.

CAPUT IV.

CIRCA QUAM MATERIAM LEX VETUS ET PRÆCEPTA EJUS VERSATA FUERINT.

1. *De materia veteris.* — In materia legis, duo considerare solemus, scilicet, id quod præcipitur, et persona cui præceptum imponitur. Verumtamen hoc secundum explicabimus infra declarando effectus et obligationem illius legis; hic ergo solum materiam proximam, in quam lex illa cecidit vel cadere potuit, explicaturi sumus; quæ res, magna ex parte, in præcedenti capite tacta est, quia non poterat adæquatus finis illius legis sine aliqua cognitione materiæ ipsius comprehendendi: his autem suppositis quæ dicta sunt, reliqua facile expediemus.

2. *Materia sancta, et honesta.* — Dico ergo primo: materia illius legis non potuit esse nisi sancta et honesta. Assertio est de fide certa, et, quod attinet ad præcepta moralia, satis constat ex dictis supra de lege naturali; quod vero spectat ad præcepta positiva, intelligenda est cum partitione accommodata: nam præcepta affirmativa dicuntur versari circa materiam honestam, quia solum præcipiunt actus qui sancte et honeste exerceri possunt et debent, saltem supposita tali lege; præcepta autem negativa dicuntur versari circa materiam honestam, vel quia omissio actus prohibiti honesta est, vel quia actus prohibitus malus est, aut esse potest saltem ratione prohibitionis. Sic autem declarata conclusio probatur aperte, tum ex communi ratione legis, de cujus ratione est ut in materia recta et justa versetur, tum ex speciali excellentia legis Dei, cui non est similis in legislatoribus, ut dicitur Job. 36; et ideo lex, quæ Deum habet auctorem, non potest non

esse sancta, sicut ipse sanctus est; et ideo, in Scriptura, beati dicuntur et immaculati, qui ambulant in lege Domini, Psalm. 118, quia, ut dicitur Psalm. 18: *Lex Domini immaculata, testimonium Domini fidele, justitiæ Domini rectæ, præceptum Domini lucidum.* Item ad Rom. 7: *Itaque lex sancta, et mandatum justum, sanctum et bonum.* Et ideo Christus Dominus sæpe monebat non venisse solvere legem, sed adimplere; et Matth., 5. dixit: *Tota unum, aut unus apex non præteribit a lege;* et idcirco et ipse legem servavit, et secum etiam in infantia servari voluit, Luc. 1 et 2; et alios eam servare docuit, ut cum leprosus misit ut ostenderent se sacerdotibus, et offerrent quod præcepit Moyses, Matth. 8, et Luc. 5 et 17; et generaliter cum dixit, Matth. 23: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei; omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate, et facite; secundum opera vero eorum nolite facere;* ubi Hieron., per cathedram Moysi, doctrinam legis intelligit, cui Christus honorem et observantiam deferri voluit, etiamsi doctores ejus pravi essent et eam non servarent.

3. *Contra dicta objectiones quatuor.* — Contra hanc vero assertionem objici potest primo testimonium Ezech. 20: *Dedit eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivant, et polluit eos cum muneribus suis, cum offerrent omne quod aperit vulvam.* Secundo, obstat illud ad Hebr., 8, ubi de veteri Testamento dicitur: *Si prius illud culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur;* vetus autem Testamentum idem est quod lex vetus: ergo lex vetus non vacabat culpa. Tertio, auctor operis imperfecti in Matth., hom. 28, circa finem, prius de lege dicit: *Non justitiæ opus injungit.* Unde postea infert: *Vides quia injusta est lex et onerosa,* et iterum infra: *Ergo lex immitis est, quia quidquid mandavit, in ira sua mandavit.* Et infra: *Item lex superbia est,* etc. Quarto, objici possunt particularia præcepta, quæ justa non videntur, ut est lex de libello repudii, quam esse injustam, et ut talem a Christo esse damnatam Matth. 5, dixit Tiraquel. in Præf. ad Retract., num. 59, ubi etiam refert quæ dixerat n. 40; simile videtur esse quod de usura dicitur Deut. 23, ubi prohibetur dari ad usuram fratri, non autem alieno. Addi etiam potest lex quam auctor imperfecti in loco citato adducit, ex Levit. 19: *Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.*

4. *Locus Ezechiel dupliciter exponitur.* —

Locus Ezechielis 20, duas habet expositiones: una est Augustini, epist. 19, quam sequitur D. Thomas, 1. 2, quæst. 98, art. 1, ad 1, ibi loqui Ezechielem de præceptis cæremonialibus, et ea vocare non bona, non quia essent de re mala, sed quia non erant talia ut homines facerent bonos, vel ut sine illis boni esse non possint, ut ait Augustinus, vel quia gratiam non conferebant, ut ait D. Thomas, sic exponens illa subsequenter verba: *Et judicia in quibus non vivant,* utique vita gratiæ. Alii etiam Patres illa verba intelligunt de præceptis a Deo datis in lege veteri, aliis vero modis explicant, cur dicantur non bona. Ambrosius enim, 1. 5, epist. 42: *Præcepta non bona, exponit, id est, non perfecta. Quia Deus, inquit, Evangelio perfectiora servavit.* Et ita exponit locum illum per alium Pauli ad Galat. 3, ubi lex dicitur pædagogus, quia erat lex imperfectorum, et quasi infantium. Simile habet Psalm. 118, octonar. 16 vers.: *Oculi mei defecerunt,* etc., ubi, objiciendo ex eodem loco infert: *Ergo Deus mala dat præcepta,* et respondet: *De præceptis sic solvitur, quia infirmis non dare debuit perfecta præcepta.* Idem fere sentit Chrysostomus, hom. 7, in 1 ad Corinth., dicens: *Quid est autem non bona? quæ non multum conferunt ad virtutem, et ideo subjungit justificationes in quibus non vivant.* Nec videtur hæc expositio displicuisse Hieronymo, Ezechiel. 20, in secunda expositione, ubi etiam, per præcepta non bona, multiplices legis cæremonias intelligit, quas appellari dicit præcepta non bona, non quia sint mala, sed quia non erant per se bona, et quia occasione mali data erant, scilicet, propter idololatrias et blasphemias, et ita data sunt quasi ad vitandum majus malum, ut Deo offerrent victimas quas daemonibus offerebant.

5. *Prædicta expositio sufficienter solvit difficultatem.* — *Difficultas ex dicta expositione.* — Hæc expositio sufficienter solvit difficultatem, etiam admittendo sermonem ibi esse de ipsis præceptis Dei: nam quocumque illorum modorum sufficienter explicatur particula *non bona;* imo etiam possunt dici non bona, quia erant valde onerosa, quæ vix possent portari, ut dixit Petrus, Actor. 15, vel quia erant nimis rigida, ut *oculum pro oculo, dentem pro dente,* Exod., 21, etc. Verumtamen quod illa expositio supponit, scilicet, verba illa intelligi de præceptis legis veteris, sive cæremonialibus, sive judicialibus, difficultatem magnam habet. Primo, quia dixerat ibidem Deus: *Dedi eis præcepta mea, et judi-*

cia mea ostendi eis, quæ faciens homo vivet in eis, insuper et sabbata mea dedi eis; et deinde conqueritur Deus: *Irritaverunt me domus Israel in deserto, in præceptis meis non ambulaverunt, et judicia mea projece-*
runt, quæ faciens homo vivet in eis, et sabbata mea violaverunt vehementer; quæ verba iterum atque iterum repetit, et postea subjungit: *Ergo et ego dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivant, et pollui eos in muneribus suis cum offerrent omne quod aperit vulvam, propter delicta sua.* Ex quo contextu videtur manifestum, hæc præcepta non bona, non esse illa quæ Deus prius dederat, sed potius illis opponi tanquam data in pœnam transgressionum priorum præceptorum, quod etiam indicat particula *ergo;* et illa particula copulativa *et:* nam hæc indicat hæc præcepta non bona esse distincta, et addita post priora; prior vero indicat causam, scilicet, quod hoc fecerit vel permiserit Deus propter transgressiones priorum præceptorum. Et, eadem ratione, judicia in ultimis verbis posita non sunt eadem quæ in prioribus, imo, per antithesim, illis opponuntur; nam qui fecerit judicia legis, vivet in illis; posteriora autem talia sunt, in quibus non vivitur; et hoc indicasse videtur Chrysostomus, hom. 17 in Acta, ponderans Stephanum vocasse legem, *eloquia viva,* ut ipse legit, quia sunt, inquit Chrysostomus, etiam eloquia non viva, de quibus Ezechiel dicit: *Et dedi vobis præcepta non bona, ad quæ respiciens Stephanus dicit, eloquia viva.* Clare ergo distinguit Chrysostomus illa præcepta non bona a lege Dei. Et eandem expositionem primo loco ponit Hieronymus, ibidem.

6. *Præcepta non bona apud Ezechielem revera mala erant.* — Hac ergo expositione supposita, quæ mihi maxime litteralis videtur, concedo illa præcepta vocari non bona, quia revera erant mala et turpia, neque inde sequitur præcepta legis talia esse, sed potius oppositum infertur; nam hæc opponuntur illis tanquam non bona bonis, sicut judicia, in quibus non vivitur, opponuntur judiciis legis, quæ qui fecerit, vivit in illis, et munera ac oblationes quæ polluunt offerentem, opponuntur cæremoniis legis. Unde videtur mihi, sicut in lege distinguuntur illa tria, præcepta, judicia, et sabbata seu cæremoniæ, ita in pœna illata transgressoribus illarum trium partium legis, distingui illa tria: præcepta non bona; judicia, in quibus non vivitur; et munera, quæ polluunt offerentem. Superest